



PETAVI
DOCTREN
TEMPORU

TOM - II

CE11
P47
V.3
c.1

011948



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



1080023673

DIONYSII
PETAVII

AURELIANENSIS,

E SOCIETATE JESU,

O P U S

DE

DOCTRINA
TEMPORUM:

IN QUO

URANOLOGIUM

SIVE SYSTEMA VARIORUM AUCTORUM,

Qui de SPHÆRA ac SIDERIBUS eorūque motibus Græcè commentati sunt, quorum nomina post Præfationem leguntur.

Omnia vel Græcè ac Latine nunc primum edita, vel antè non edita;

ITEM

VARIARUM DISSERTATIONUM

LIBRI VIII.

Accesserunt in hac

NOVA EDITIONE

EJUSDEM PETAVII ET JAC. SIRMONDI

Dissertationes de Anno Synodi Sirmienfis & Fidei formulis in ea editis,

PETAVII Lib. II. de Lege & Gratia, Elenchus Theriacæ Vincentii Lenis, Dissertatio de Adjutorio sine quo non, & Adjutorio quo, quæ in Dogmatibus Theologicis omiffa fuerunt;

AC DENIQUE

EPISTOLARUM LIBRI TRES.

TOMUS TERTIUS.



Comilla Alfonso
Bibliotheca Universitaria



UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
BIBLIOTECA

ANTWERPIÆ, - 55468
Apud GEORGIUM GALLET.

M. DCCIII.

CE II
P47
J3

DIONYSII
 PETAVII
 AURELIANENSIS
 SOCIETATE IESU
 OPUS
 DE
 DOCTRINA
 TEMPORUM
 URA NOLOGIUM

SIVE SYSTEMA VARIORUM AUSTORUM
 DE SPHERA & SIDERIBUS
 VARIARUM DISSERTATIONUM
 LIBRI VLTIMI
 ACCURATE IN HAC
 NOVA EDITIONE
 EJUSDEM PETAVII ET JAC. SIMONDI
 DISSENTIENS DE ANNO SYNONI SIMONIS & SIDII SIMONIS IN EA EDITIONE
 PETAVII LIBRI DE LEGE GRAECIAE, LIBERUM FORTIS VINCENTII LIBRI, DISSENTIENS DE
 NON & SIMONIS QUAE IN D. GONZALEZ T. P. LIBRIS COMISSA FUERUNT



FONDO ELETTERIO
VALVERDE Y TELLEZ



ANTWERPIAE
 Apud GEORGIVM GALLET
 M. DCCIII



ILLUSTRISSIMO,
 AC REVERENDISSIMO D.
ARMANDO JOANNI
 S. R. E.
CARDINALI
DE RICHELIEU.

COELSTES in hominibus esse fatus animorum (CARDINALIS ILLUSTRISSIME) res haec una persuadere potest; quod incredibiliter eos coeli, siderumque vel contuitus ipse delectat. Quis est enim, qui cum se paullulum crexerit, & ad pigros illos mirabili varietate, ac splendentibus orbis ora converterit, non se affici subita voluptate sentiat; & hoc velut tacitum testimonium ortus inde sui, & originis agnoscat? Hinc nescio quis ex illa vetustate sapientum, cum a quopiam interrogatus esset, quam ob causam venisse putaret in mundum, Solis contemplandi gratia respondisse fertur. Quam id sapienter, nihil ad praesens negotium attinet: eo certe quidem valet, ut naturalem inesse cum coelo necessitudinem animis nostris, arcana consensus, & cupiditas ista testetur. Sed sunt plerique ita vasti, & agrestes homines, & in corporum curam adeo intemperanter effusi; ut illius infere dignitatis nulla, vel obscura vestigia, & quasi lineamenta retineant. Sunt autem & contrario quidam rara mentis indole praediti, qui communium, ut ita dicam, natalium splendorem excellentis naturae bonitate sustinent. Quod quidem duarum rerum consequuntur aliqua. Nam aut ad veri perspicaciam, & ad res abstrusas acutissime pervidendas celeres habent ingenii motus, ac propere divinos: quo in genere sapientia cernitur. aut ad usum vitae, ac cum sui, tum ceterorum gubernationem solertia valent: quod est prudentiae proprium. Ad illos priores annumerandi sunt ii, qui suo studio aut inventas artes, ac disciplinas posteris tradiderunt; aut ab aliis elaboratas, ut minore quam isti gloria, sic interdum pari sunt ingenii laude complexi. Ex his porro artibus ad illam, quam quaerimus, informandam divinitatis animorum notam, ac speciem, ea potissimum spectant, quarum in coeli, stellarumque pervestigandis motibus occupata cognitio est. Quis enim non aut humana perfectum hoc industria jure miretur; aut sine altioris communionem naturae potuisse fieri putet; ut tam infinitis remota spatiis positi in terra mortales animadvertent; eaque non minus exploratam, quam subtilem in rationem viamque cogent? Aspice tot ortus siderum, & occasus: Solis item, ac Lunae, & errantium quinque reliquorum varios cursus, cum per se difficiles singulos, tum mutua complexione magis inextricabiles, & obscuros. adde horum omnium; sed duorum praesertim, qui mundi principatum tenent, conjunctiones invicem, & regressus ab sese. tum suppressiones luminis, ac defectus. haec omnia constantibus, neque fallentibus regulis ita comprehendi, ut tanto ante fieri futura possent, non inclusorum corporibus, & in solo repentium, sed in coelo ipso degentium esse opus animorum videtur. Merito itaque Plinius tantam in homine vim miratus ingenii, Plin. lib. 11. cap. 27. tantiam expressit. Hipparchus, inquit, nunquam satis laudatus; ut quo nemo magis approbaverit cognitionem cum homine siderum, animisque nostras partem esse coeli. Imo vero non coeli partem animas esse nostras; sed eo sublimius aliquid, & divinius; praestantium coelo rerum iis subjecta scientia demonstrat. Jam in altero genere, quod in ordinandis, & consilio, ac prudentia gubernandis rebus existit, inest etiam summi illius imago numinis expressior. Dei est enim moderari inferioribus omnibus, & eorum aptas ex sese continere causas; ac per singula diffusum, & impulsu suo cuncta vegetantem, vim iis, actionem, modum, ordinemque tribuere. casum denique, quas in spirantium corporibus exercet anima, partes sibi in hac mundi universitate deponere. Quod adeo peculiare Deo est, ut qui cetera ipsius propter mentis cecitatem non viderant, hoc de eo tamen senserint veteres Philosophi, ac mundi animam Deum esse, minore, quam in reliquis, contentione statuerint. Hanc prudentem administrantis universa, & ut blandè, sic poterit insinuantis per singula se Dei speciem qui quantum hominibus licet perfecte possent assequi, nonnullos majorum nostrorum exstitisse memoria fatendum est, & hac aetate pauciores esse. qui autem ex hac posteriore, civilis prudentiae; & illa prioris, doctrinae, & sapientiae laude confectam, & absolutam cum Deo germanitatem exprimerent, longè paucissimos invenies & majorum nostrorum temporibus, & nostris. ac ne nullos esse conqueramur hodie; neque solis ex historis illius nobis capienda putemus exempla; facis tu quidem (CARDINALIS ILLUSTRISSIME) insigniter ex omnibus. Nam neque te scientia est majore quisquam istius loci, & ordinis hominum, & rerum gerendarum industria, navitate, consilio, felicitate longè praeter ceteros excellis. Sapientia primum quanta in te sit, qui tui usum habebit aliquem, testem nullum requirit. qui non noverit, potest ex editis a te libris conjecturam capere?

Pars III.

011948

EPISTOLA.

quos partim instituendis Catholicis: partim confutandis hæreticis eruditè, ornatèque scripsisti. His aliarum quoque disciplinarum adjungis studia. sic ut nulla polito sit ars homine digna, cujus non vel peritiam tibi: vel, si minus necessaria sit, amorem certè, ac patrocinium asceas. Sed hoc fortasse domesticum decus nos Franci populares tui coram cernere, & admirari possumus: exteri verò minus propter longinquitatem sentiunt. Illud alterum invictæ, excellenque mentis, & quamlibet multis, magnisque rebus fortiter capiendis, & soletè explicandis idoneæ, nulla est hodie neque tam remota gens, quæ non intelligat; neque tam inimica, quæ non fateatur, ac prædicet. Etenim illa paucis annis te hortatore, consiliario, & adjutore gesta sunt, quæ vix animo concipere quisquam ob magnitudinem; ignorare propter claritatem, & splendorem nemo possit. obscurare verò detrahendo, ne invidia quidem ipsa, malevolentiaque audeat. Ac si pacis ea tantummodò essent, ac togæ, quamvis gloriosa, & magnifica, minus tamen incredibilia de eo viro putarentur, qui ad Ecclesiasticum adscriptus ordinem pacis artibus se ab incunte ætate dedidisset. Verum ita bellica etiam in re, ac militari versatus es, quasi nihil in vita egisses aliud. ac cum præstantissimorum Imperatorum gloria non solum adaquasti, sed supra illos etiam extulisti tuam. Quod enim plerique nec usu plurimorum annorum, ac disciplina, nec assiduitate bellandi consequi poterunt, id sola ingenii, & naturæ felicitate es adeptus: verissimumque illud esse probasti quod dixit Pindarus, *αφ' ου δ' ορθως ειδως φουζ.* hoc est præstantes homines natura magis, quam institutione niti ad sapientiam. Habent enim divinos impetus animorum excellentes viri; quales in Heroibus existisse scribit Aristoteles; quibus ad res magnas, atque arduas excitantur, maximeque communi hominum generi salutare. Ejusmodi in te motus, & instinctus esse qui neget, non is tam iniquus gloriæ tuæ, quam infestus divinæ, & in ambos ingratus habeatur. Deus est protectò, Deus, qui tibi (CARDINALIS ILLUSTRISSIME) parem tot rebus providendis, obeundis, perficiendis animum dedit, quibus vix tentandis vis, aut atas humana sufficeret. Hunc habes auctorem capiendorum consiliorum; hunc exequendorum ducem, ac præsidem. hic in dubiis, & impeditis lucem objicit menti tuæ: ut non tam de incertis existimare sapienter, quam prospicere futura videaris. Idem denique, ut quæ priora sunt omnibus attingam, Ludovicum regem impulit, te ut adhiberet in regno gubernando curarum omnium, consiliorumque participem; ac tuæ fidei, & prudentiæ gravissima quæque committeret. Cujus de te principis judicium, non solum ut justum; non ut sapientis solum: sed ut innocentis, ac Deo cari, propæque familiaris; sic tamquam ab justitia ipsa, à sapientia, ab innocentia; postremò ab ipso Deo profectum debet videri.

Mirabamur antea, cum id, quod sæpè dici meminimus, de rege hoc audiebamus, nihil illum prius agredi, quam cum Deo prolixè, diligentèque communicasset, atque in quoddam se divini numinis sacrarium recipiens, occultas inde significationes, aflatuque sumpisset. Hanc non temerè de illo sparsum esse famam, si non ei suffragatrix vitæ reliqua integritas accederet, satis ipse delectus ostenderet eorum hominum, quos pacis, bellicæque muneribus administratos, & curatores præficit. Te verò cum præ cunctis optavit unum, cujus in fide ac prudentia de omnibus acquiesceret, communem de se opinionem vehementius hoc suo factò comprobavit. Est quidem minimè hoc sapientis hominis, ex eventu probare consilia: propterea quòd temerè susceptis interdum temeritatis comes fortuna respondet. eadem prudenter cautèque provisà medio in cursu plerumque desinit. Sed sunt extraordinarii quidem ac miraculi similes exitus rerum; in quibus auctorem Deum admirabilitas ipsa commendat; cum inusitatum aliquid, ac voto majus accidit; quod nec humana providere ratio potuit; nec sibi tam facile, ac repente polliceri. Ejusmodi illa fuere primum, quæ in Santonibus, & ad Rupellam, atque in finitimis provinciis à te sunt gesta nuper; quibus non præsentium modò temporum vicisti spem, sed etiam memoriam superiorum. Urbs non Gallia solum, sed orbis terrarum munitissima: quæ in medio regni sinu, & gremio novum sibi regnum statuerat: quam nemo non obsideri, ac vallari posse diffideret; nedum capi, expugnarique crederet: paucis obfessa mensibus, ac terra, marique vallata, capta, expugnata, Ludovici regis auspiciis ac virtute, consiliis tuis, in illius potestatem venit. Hoc in uno factò quam multa & ad stuporem ingentia, & ad gloriam illustria, & ad præsentis numinis indicium expressa continentur! Sed ea non solum epistolæ modum, sed scribentis etiam captum superant. quæ qui longius diducta, & majori, quam est in me, orationis illustrata copia legerit, non unius anni, sed sæculi esse res arbitretur. Quid illa, quæ deinceps gesta sunt? Hac enim perfidia, & seditionis arce de prædonum manibus extorta; evertis oppidis aliquot, & succensis; suis ac disjectis perduellium copiis; cursibus deinceps ad libertatem, & salutem, imperii cum religione fortuna contendit. Tum demùm civitates, & provincie, pestifera societate disfluta, certatim ad obsequium fidemque redierunt. Ex quo, sublati factionibus, regno simul, Ecclesiæque parta in sempiternum pax, & securitas. Nam quod hætenus, velut portentum de fabula, biceps erat, & bicorpor, & vix eodem trunco ac radice adhuc hærebat, paullatim in unum corpus, formamque coaluit. Hic ille optatus magis à nobis, quam speratus victoriæ fructus ostendit quorsum consilia tua pertinerent, ac quid in istis laboribus, vigilisque propositum haberes. Intelleximus eò te spectasse pridem, quod & nondum perfecta re, ac ne suscepta, aut deliberata quidem præ te tuleras, ut civilibus pariter, & Ecclesiasticis rebus Gallia compositis, liber ubique Catholicæ fidei campus aperiretur. ut esset in ea non magis Christianissimo regi, quam religioni, pietati, justitiæ, Christo denique constitutum sine ullo competitore regnum. Hæc tibi quanta contentione corporis, animique; curis, ac vigilis quantis constiterint; dum eodem tempore intenta in omnes partes imperii, publicæque rei tua mens esset, etiam est conjectura difficilis, utcumque tamen de se quisque cognoscat, ac divinum robur animi tui facilius æstimabit, qui suas in una sæpè domo gubernanda molestias recordari voluerit. Habes verò gravissimum eorum testem, & arbitrum, cujus, secundum Deum, ista omnia causâ suscepisti, Christianissimum regem: qui non semel publicis litteris immortaliter te præconio commendavit; dum se in conficiendis iis rebus, consortem gloriosissimi laboris habuisse te dixit; valdeque tuam in cunctis operam, assiduitatem, industriam probatam sibi, ac necessariam fuisse. Idem postea conflato in Italia difficillimo bello, in quo Francici nominis dignitas, & sociorum salus agebatur, ac de nostra fide regnorum omnium, & populorum existimatio, parem te molli tantæ sustinendæ putavit esse; & eò te summa cum rei militaris potestate, atque amplissimo imperio proficisci voluit. Nec illius expectationem res ibi gesta à te fefellerunt. Idem, qui superioris belli, successus expeditionis hujus fuit. Patefactæ nostris exercitibus Alpes, quarum aditum natura primum; tum hostis armis, ac prædiis intercluserat. Capta primo impetu nostrorum Italie claustra; confirmati sociorum animi; hostilis ab eorum mœnibus repressus furor. sive pristina in Italia recuperandæ possessionis spes facta nostris. sive, quod Ludovico regi, ac tibi omnibus victoriæ præmiis antiquius est, redintegrandæ pacis, & concordie. quam si, ut speramus, & communi omnino voto petimus, per te nobis Deus aliquando concesserit; ejus tibi, post Regem, adeptæ gloria cum multò erit ad immortalitatem nominis illustrior: tum propensiore Christiani orbis studio, ac voluntate tribuetur. In his curis, ac cogitationibus defixus, si nihil tractares, nihil animo versares aliud, ac si rerum ceterarum, etiam doctrinarum, quas habes carissimas, memoriam seponeres, nihil non usitatum faceres, nec abhorrens ab usu, vitæque communi. Sed non est ita. Non enim quantalibet negotiorum aut magnitudine superatur invicta vis animi tui; aut varietate, ac multitudine in immensum diffusa capacitas expletur. Itaque tum, cum plurimæ te, gravissimæque rerum maximarum cure distinent, liberam, ac vacuæ similem ad alia mentem accommodas; præsertim quæ ad honestas artes, vel æquitatis, & virtutis officia referuntur. Quod ego sum admirabiliter expertus, cum sub primos armorum strepitus, & in ortu ipso civilium turbinum, ac sollicitudinum tuarum, Opus meum de Doctrina Temporum nomini tuo inscripsi, ac coram obtuli. Nam non solum interpellari te passus es; quod ægrè in tantis occupationibus permitti solet: sed etiam

EPISTOLA.

benignè, ac petamenter à me munus illud accepisti; & eum postea librum, velut in summo otio, identident legisti. Quo majore fiducia modò cum reliquis Operis ejusdem, & Auctario doctrinæ illius ad te revertor (ILLUSTRISSIME CARDINALIS) & hoc metu, ac verecundia minore, quam tunc, facio: quòd adhuc nova, & integrè re, excusari fortasse nonnulla nostra vel temeritas, vel importunitas debuit. inchoatà semel, & impulsâ, nulla jam à me, cur hoc recens tibi patrocinium deferam, requirenda ratio est. cum si cuivis, præter te, deferre instituissem, asserendæ ob hoc ipsum causæ fuerint, cur alteri potius, quam tibi.

Atque ut, unde mihi hujus ad te sermonis ingressum ceperam, ad illam cum cælo propinquitatem animorum revertar, quam in tui similibus elucere potissimum docti; magnam inducor in spem, & ut opinor, verissimilem, plus hoc novum apud te gratia munus, quam illud prius habiturum. paullò quidem majorem meretur argumenti vel dignitas, vel affinitas illa, quam dixi. Est enim pars ejus maxima de cælo, & iis sideribus, quæ in cælo fixa voluntur. de quibus certa Græcorum veterum Opuscula selegi: ut Hipparchi, qui antistes illius artis, cognitionem cum cælo animorum nostrorum imprimis asseruit; ut ex Plinio supra demonstravimus. Ut Gemini præstantissimi, ac politissimi Scriptoris. ut Ptolemæi. ut Achillis Tatii, ceterorumque, quos vel nondum editos, vel Græcè nunc primum, Latinèque disputantes huic libro mandavimus. His accedunt variarum Dissertationum commentarii: in quibus partim de eadem cælesti scientia quædam scitu digna promuntur: partim superiorum doctrina librorum illustratur, ac defenditur. Nam fuit uno tempore tibi contra Ecclesiæ, ac regni hujus hostes; mihi contra veritatis oppugnatores imperitos homines proposita dimicatio. In qua non solum arbitrum te, sed fauctorem etiam, ac patronum confido fore. Siquidem ut ex eo, quod prius nominatim consecratum est tuo, obligatum tibi, velut pignore quodam hoc illius consecratum Opus tenetur. sic eo ipso, quod libenter, benignèque prius admisi; posteriori huic oppugneratam humanitatem tuam jure mihi quodam meo polliceor.

ILLUSTRISS. AMPLIT. T.

Deditissimus,

DIONYSIUS PETAVIUS

Societ. JESU Presbyter.

*

A D

A D
CANDIDUM LECTOREM.

CONSILIUM meum fuerat, cum Operis de Doctrina Temporum editionem instituerem, Scriptores aliquot Græcos in illius calcem conferre; qui in commentationibus istis magno mihi usui, & adjumento fuissent. Sed cum major opinione mea libri moles exstitisset, rem in aliud tempus differre placuit; ac separatim ei volumen conficere. quod tibi nunc (erudite Lector) sub Auctarii nomine, ac titulo presentamus.

In quo non ii tantum, quos initio desponderam, auctores prodeunt: sed alii præterea longè utilissimi, ac præstantissimi. imprimis autem Hipparchus, & Achilles Tatius. de quibus edendis non antea mihi venit in mentem, quam Geminus typis mandari cepisset. Ex quo factum est, ut qui ceteris & ætate, & dignitate antecederet Hipparchus, non, uti par erat, primum in hac editione sortitus sit locum; sed post Geminum, aliisque collatus fuerit. De quibus, uti & de ceteris, quæ una publicantur, aliorum opusculis, præfati & admonere nonnulla necessarium videtur.

Primum est Geminus, qui ante annos amplius quadraginta prodiit, Græcè Latinèque ab Edone Hildericò; Scriptor eruditus, & antiquus. Vixit enim Sulla, ac Cicerois æculo, ut ex iis constat, quæ ad pag. 19 in Notis observamus. Patria Rhodium fuisse inter omnes convenit. Sed Romæ, & in Italia vixisse, non levis est conjectura, ibique commentarium hunc scripsisse; ut in iisdem Scholiis adnotavimus. Ac vel nomine ipso Geminus satis hoc evincitur, Latinorum usu, & commercio implicatum esse hominem; ac libertum fortean, aut clientem alicujus fuisse familiæ, cui peculiare cognomen id erat; nempe Serviliorum. Proclus in Commentariis ad priores Euclidis libros non semel Geminum laudat; quem & Ἐπιπέδων perpetuò nominat, circumflexa penultima: indidèque colligit, quædam illum de Geometria scripsisse. cujus fidem facit catalogus librorum, qui ex Barocciana bibliotheca nuper in Angliam avecti sunt. quos inter Gemini liber exstat nondum editus. Sed & Procli Sphæra nihil aliud est, præter Isagoges Gemini capita quædam. quod suo loco declaravimus.

Hujus nos testimonio Scriptoris sæpè, ac libenter usum sumus in his, quæ ad annum Græciæ veteris, & Ægyptiacum spectant. Nam de priore illo nemo est, qui diligentius, expressiusque verba fecerit; cujusque propter antiquitatem, & eruditionem ratio major haberi debeat. quem si in consilium adhibuisset Scaliger, aut si eum attentius legisset; neque præjudicatam illam suam de anno Græco ἀναλήψιν ad illius tractationem attulisset; non illa nobis anni Græci, & Attici commenta peperisset, quæ & absurdissima sunt; & unius præter ceteros Gemini auctoritate refelluntur. Hunc igitur cum Latina interpretatione veteri primo loco posuimus; quæ profectò meliorem, elegantiorèque merebatur. & erat animus novam aggredi, nisi in Hipparchum, & alios, qui nullam habebant omninò, id operæ conferre satius esse judicasset. Græca verò ad veterum manuscriptorum fidem exactè castigavimus. è quibus unum penes nos habebamus haud adeo veterem; sed accuratum, ac scriptum imprimis eleganter. alter in Oxoniensi bibliotheca reperitur. quo cum editionem Hildericæ diligenter contulit Henricus Briggs Oxoniensis Mathematicus; à quo id meo nomine postularat Lucas Holsteinius Hamburgensis, vir eruditissimus; qui in Illustr. Cardin. Barberini comitatu Romæ hodie vivit. Utriusque ope, ac beneficio variarum lectionum Indiculum accepimus; quas paucis excerptis totidem in nostro codice deprehendimus. Quamobrem quicquid in nova hac editione Gemini aliter atque in priore, studiose Lector, offen-

deris; id ex amborum auctoritate, & consensu immutatam esse scias. Nec pauca verò illa sunt; neque levia. ut, qui ambas legerit, agnoscat.

Post Geminum Ptolemai liber sequitur, qui Ἐπιπέδων ἀναλήψιν in antiquo codice inscriptus legitur; uti nos edidimus. Hujus nobis copiam amicus quidam fecit; qui ex antiquo codice eum descripsit. Eundemque post invenimus in Regia bibliotheca; & à Cl. V. D. Nicolao Rigaltio utendum accepimus, ex quo etiam non pauca castigavimus. De hujus auctore quid dicam nihil habeo, præter ea quæ in Notis exposui. Cui quidem Calendaria ejusdem argumenti subiecta sunt tria. Primum est sub falso nomine Ptolemai editum à Leonico, è Græcòque translatum; quam miscellam esse tumultuariam ex variis paraepematis confectam, non semel in Dissertationibus ostendimus. in quo ridiculus est Solinianus Exercitator, qui hunc libellum aureolum in sua farragine Plinianarum Exercitationum nominat; ex quo nihil certi, bonique, propter confusionem, & auctorum, locorumque tacita vocabula, harum rerum studiosus colligat. sed habent similes labra lacucas. Alteros Fastos ex Ovidii, Columella, Pliniique libris concinnavimus ipsi, qui Julianorum instar esse queant. Ex Sosisenis enim, vel Julii Cæsaris paraepemate, nec uniusmodi fortasse, uti libro II Variarum docuimus; auctores illi phenomena sua perscripserunt. Qui noster labor non parùm eos adjuvabit, qui Poetas, aliisque Scriptores in manus sumperit; ubi orientium, vel occidentium stellarum sit nonnulla mentio. præsertim si ad usum Calendarii istius, libri primi Variarum Dissertationum nostrarum doctrinam adjunxerint. Tertium est Calendarium Constantini M. à Joanne Herwarto olim editum. cujus enarrationem ὁ μακαρίτης Hieronymus Alexander scribere instituerat.

Exinde Achilles Tati, & Hipparchi libros addidimus, quos Græcè primus è Medicea bibliotheca vulgavit Petrus Victorius. nos Latinos fecimus. ac principio quidem solum Tatum conferre in Auctarium hoc nostrum volumus. post de Hipparcho quoque remissimus doctorum quorundam amicorum precibus. unde etiam accidisse noris, ut post Achillem Tatum tanto & antiquior, & præstantior poneretur Hipparchus; quòd in eo Latine vertendo paullulum spatii interponendum fuit; & ne operæ vacarent interim, in aliis excudendis occupare eas oportuit.

In Achillis commentariis nonnulla sunt ἀεὶ ἔργα, ac minime necessaria. plura tamen scitu non indigna. in quibus quæ erant menda corrigi non potuerunt, quòd nullum vetus exemplar, quo niteremur, ad manum fuit.

Hipparchi verò libri multis in locis emendati sunt, non ex conjectura solum, quæ, ubi opus fuit, ad marginem adscripta est, quemadmodum & in ceteris fecimus. sed etiam ex antiquo Bibliotheca regis libro, pulcherrimè scripto, quem nobis Cl. V. D. Rigaltius commodavit. Eo præeunte libro, quicquid secus, atque in Florentina editione, in hac nostra leges, conformatum esse meminere. Asteriscos autem, quos sub Hipparchi nomine eadem Florentina editio continet, consultò prætermisimus. Non enim Hipparchi sunt, sed Ptolemai. à cujus Tabula paucis interdum minutis discrepant. Itaque supervacaneum erat illos recudere.

Succedit his Gazæ liber de Mensibus Atticis, cum Latina versione Joannis Petrelli ante centum fere annos edita.

Tum S. Maximi Martyris Computus, quem è Vaticana Bibliotheca describendum curavi. Hujus excerpta quædam Josephus Scaliger Operi de Emendatione Temporum

AD CANDIDUM LECTOREM.

Temporum inseruerat; & uberibus Notis Græci computi doctrinam explicarat. quæ res, uti cetera illius Operis, ei infeliciter successit. ut ex octavo Variarum Dissertationum nostrarum eruditus Lector intelliget. Adjecimus & Isaac Argyri computum duplicem. quorum prior à Jacobo Chritmanno primum Græcè vulgaris est. nos Latine vertimus; & posteriorem ejusdem computum ex Christianissimi Regis bibliotheca subjecimus beneficio Cl. V. Nicolai Rigaltii. Accessit perbrevis Andrea Cretensis computus olim ad nos à P. Andrea Schotto missus, quem ex Vaticana se accepisse scripsit reliquit. nec non Anonymi cujusdam Diatriba de Paschate novissimo Christi. cui perperam inscriptum nomen erat S. Petri Alexandri Episcopi, & Martyris. quòd inter Patres aliquot; quorum testimonia producantur, primo ille loco nominatur. Ac duplex Fragmenti esse istius argumentum videtur. Primum enim Christum demonstrat ultima in Cæna legale Pascha non celebrasse; quòd pridie ejus diei, quo à Judæis peractum est, mysticum suum, ac novi Testamenti proprium Pascha Christus obierit. Cujus opinionis Veteres nonnullos testes citat. Sed ea videlicet, quod illorum pace dixerim, falsa, & Evangeliorum auctoritati contraria est. Nec illud nos argumentum movet, quod ut ita fen-

titent eos impulit. de quo in XII de Doctrina Temporum plenè disputavimus. Altera pars Fragmenti, præfatio est in Παράβολοις, sive computum Paschalem, quem illius auctor in tabulas redegerat, ad quas cyculum Vctorianum auctorum DXXXII accommodarat. quana methodum ut ne multum desideremus, Maximi & Isaac computi faciant; qui instar sunt ceterorum omnium. Tum nihil verò de hac re quæri posse confido, quod non in octavo Variarum nostrarum Dissertationum explicatum habeas. Quas quidem Dissertationes sic elucubrare studuimus, ut ad illos ipsos Auctarii Scriptores declarandos, & illustrandos vice commentationum essent. Nam nullus in his fere locus est quæstione, disputationeque dignus, quem non iis in libris attigerim. Quam in rem perbreves Notas adjeci, præsertim ad Hipparchum, & Geminum; quæ singulis præpòdum in locis ea capita Dissertationum indicant; ubi illa copiosius explicantur. nec pauca tamen nova interim adduntur; quæ ibi prætermissa fuerant. Sed de Dissertationum proposito ac scopo peculiari te præfatione docebimus. Vale cándide Lector, & ad hujus nostre operæ fructum colligendum fac cum vicissim animum affectas, quo tibi devotam illam, addicamque confidas velim.

PETRI VICTORII
AD LECTOREM
PRÆFATIO.

QUIA fidem meam omnibus probatam esse cupio, totam rem tibi accuratè narrabo: ac quibus auxiliis in hoc munere obundo usus sim, aperiam. Exstat antiquus liber Hipparchi in Medicea bibliotheca, quem olim cum primum legissem, impulit me subtilitas hujus Scriptoris, ut ipsum cum iis, qui cognitione stellarum cælique delectantur, communicarem. Antequam tamen impressori darem, quia audiveram in Vaticana bibliotheca alterum custodiri, curavi nem, è Mediceo expressum, cum eo diligenter conferendum. sunt autem in illo tres tantum libri, quos scripsit in Eudoxi, & Arati phenomena. hujus igitur, qui sequitur in excuso, inscribiturque ἀναλήψιν, unicum tantum exemplar habui. Achilles itidem duo exemplaria nactus sum, non parum inter se multis locis discrepantia. quod facit tamen ad verba potius, & ipsorum seriem, quam ad sententiam auctoris magnopere variandam. Missa quoque sunt ad me Roma una cum Achille, scripta quædam mutilata veterum quorundam doctorum hominum, qui studio ac labore suo aut Arati poema, aut scientiam hanc siderum illustrare voluerant: & illa ipsa præterea plena macularum, quæ tamen cum haud penitus inutilia judicasset, multis locis correctè sedulitate mea, non

indigna putavi, quæ foras exirent. Quod verò in extremo, sive Eratolthenis, sive Hipparchi nomine additum est, falso prorsus indice, nullam in parte redolet acumen, eruditionemque nobilissimorum eorum vetulissimorumque auctorum: multisque modis intelligitur ab inferioris ætatis aliquo notatum fuisse. Leges etiam illic, quod cognitu dignum judicavi, magnum numerum doctorum virorum, & in variis artibus laudatorum, Arati opus vigiliis suis ornaße. quod multum facit ad gloriam ipsius celebrandam, significantiamque quanto in honore olim fuerit hæc rerum cælestium cognitio, quæ hodie, quod dolendum est, penè jacet ignavia nostra, atque omni dignitate spoliata est. nam additis illis ipsis Latinis, insignibus clarisque in primis auctoribus, Theonèque Alexandrino, magno mathematico, cujus eruditissimus, copiosissimisque commentariis in Aratum exstat, ad quinquaginta illi pervenerunt. Magnis autem ego occupationibus impeditus, & quia satisfacere cupidis hujus gravis auctoris non poteram, nisi ipsum sua lingua loquentem citò divulgasset, non edidi nunc, ut optabam, Hipparchum à me in Latinum sermonem conversum, ac penè perpositum, sed brevi (ut spero) ille quoque meus labos edetur. Hæc volebam tibi non ignota esse. Vale.



ΠΕΡΙ ΙΠΠΑΡΧΟΥ

ἐκ τῶν Σειδῶν.

Ἰππάρχου Νικαεῶς φιλοσόφου, γενεῶς δὲ τῶν ἑσπέρων, ἔγραψε περὶ τῶν ἀστρονομικῶν, περὶ τῶν ἀστρονομικῶν ἐπιπέδων, καὶ τῶν ἀστρονομικῶν ἀστρονομικῶν, καὶ τῶν ἀστρονομικῶν ἀστρονομικῶν.

HIPPARCHI ELOGIUM E SUIDA.

Hipparchus Nicæus Philosophus, qui fuit sub Consulibus. Scripsit de Arati Phænomenis. de stellarum inerrantium constitutione; & immota statione. de menstruo Lunæ motu secundum latitudinem. & in asterismos.

ΠΕΡΙ ΑΧΙΛΛΕΩΣ ΣΤΑΤΙΟΥ

ἐκ τῶ αὐτῶν.

Ἀχιλλεὺς Στάτιου Ἀλεξανδρινός, ὁ γράψας τὴν ἑξοχὴν ἀστρονομικὴν βιβλίον, καὶ τὴν ἑξοχὴν ἀστρονομικὴν βιβλίον, καὶ τὴν ἑξοχὴν ἀστρονομικὴν βιβλίον, καὶ τὴν ἑξοχὴν ἀστρονομικὴν βιβλίον.

DE ACHILLE STATIO EX EODEM.

Achilles Staius, Alexandrinus; qui de Leucippe, & Clitophonte scripsit, & alia amatoria libris octo; tandem factus est Christianus, & Episcopus. Scripsit de sphaera, & etymologia, & historiam miscellaneam; quæ multorum, & magnorum, & admirabilium virorum mentionem facit. Ipsius verò oratio in omnibus profus est amatoriis orationibus similis.

Meminis Achillis Tatii Photius Cod. LXXXVII. ubi non Stá-tion vocat, sed Tá-ton, quemadmodum et Palatinus codex habebat, unde Clitophontis et Leucippes amores Commelinus edidit. Nam altera ex errore profecta lectio videtur, repetitá perperam litterá Σ ex priori nomine Ἀχιλλεῶς.

INDEX AUCTORUM, qui in Uranologio continentur.

Table with 3 columns: Author/Work, Page, and Interpreter. Includes entries for Gemini Isagoge, Ptolemaeus, Hipparchi, Achillis Tatii, and various astronomical works.



ΓΕΜΙΝΟΥ

ΕΙΣ ΑΓΩΓΗ

ΕΙΣ ΤΑ ΦΑΙΝΟΜΕΝΑ

ΓΕΜΙΝΙ

ΕΛΕΜΕΝΤΑ

ΑΣΤΡΟΝΟΜΙΑΣ.

INTERPRETE EDONE HILDERICO D.

ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Α.

CAPUT I.

Ο ΤΩΝ ζώδιων κύκλος διαιρείται εἰς μέρη δεκάδυο, καὶ καλεῖται κοινῶς μὲν ἑκάστην τριμῶσαν δωδεκατημόριον ἰδίως δὲ ζῶδιον ἑκάστην ἑκάστην αὐτῶν ζῶδιον.

ΖΩΔΙΑΚΟΣ circulus in duodecim dividitur partes, atque horum segmentorum unumquodque generaliter quidem vocatur dodecatemorion, id est pars duodecima, specialiter vero signum: idque à stellis, quas continet, & à quibus etiam certam effigiem sortitur. Sunt autem hæc duodecim signa. Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpium, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, & Pisces.

Διχῶς δὲ λέγεται ζῶδιον καὶ ἕνα μὲν τρέψον τὸ εἶναι μέρη τῶν ζώδιων κύκλου, ὅτι εἰς ἀστρονομίᾳ πέντε, ἢ ἄστροι, ἢ σημείων ἀφορεῖται μόνον καὶ ἕτερον δὲ τὸ εἶναι ἄστρον εἰδωλοπεπιμῆδον καὶ ἑμοιότυπον, καὶ τὸ εἶναι ἄστρον.

præparum sequitur, neque τὸ ἀστρονομικὸν consuetudine. quod nec fuit necesse ἀστρονομικῶν, ac prima hujus artis elementa scribenti. Quocirca de zodiaco sic loquitur, quasi unius orbis esset, ac nonquam situm mutaret. Dodecatemoria veri zodiaci, qui est in primo mobili, de zodiaco, & asterismis vocabula tunc acceperunt, cum ea continerent. putà Aries dictus est primum dodecatemorion, quod in eo tunc esset asterismus dictus sphaera, cui hoc vocabulum inditum est. quod Metonis, Eudoxi, ac Ptolemaei faculis accuratè contigit. Nostro verò longius in posteriora progressi sunt asterismi, ac totifere extra ἀστρονομικὰ segmenta consueverunt. Ex quo in perisque stellis latitudines à vera ecliptica, & declinationes immutatae sunt, ut australes fierent, quæ erant boreales, & contrà.